

**Bryn Mawr College
Scholarship, Research, and Creative Work at Bryn Mawr
College**

Hermann Sauppe Library

Bryn Mawr College Publications, Special
Collections, Digitized Books

1864

Dialectica Socratica dux criticae Platonicae et
Xenophontae: specimen tertium

Rudolf Bernard Hirschig

[Let us know how access to this document benefits you.](#)

Follow this and additional works at: <http://repository.brynmawr.edu/digitizedbooks>



Part of the [Classics Commons](#)

Custom Citation

Hirschig, Rudolf Bernard. 1864. *Dialectica Socratica dux criticae Platonicae et Xenophontae: specimen tertium*. Lugduni Batavorum: E.J. Brill.

This paper is posted at Scholarship, Research, and Creative Work at Bryn Mawr College. <http://repository.brynmawr.edu/digitizedbooks/7>

For more information, please contact repository@brynmawr.edu.



68.P5
V HIR 2

9



DIALECTICA SOCRATICA

DUX

CRITICAE PLATONICAE

ET

XENOPHONTEAE.

SPECIMEN TERTIUM.

SCRIPSIT

R. B. HIRSCHIG.

3,





DIALECTICA SOCRATICA

DUX

CRITICAE PLATONICAE

ET

XENOPHONTEAE.

SPECIMEN TERTIUM.

Kαὶ δίς καὶ τρίς καλὸν τό γ' ὅρθὸν λέγειν.

SCRIPSIT

R. B. HIRSCHIG.

LUGDUNI BATAVORUM

E. J. BRILL

1864.

THE ELEGANT BOOKSTORE

COLLECTIVE SUBJECTS

A FTERNOON

MURRAY HILL

1888

BY A LUMINARY

IN THE CLOTHES

COLLECTOR'S LIBRARY

1888

DIALECTICA SOCRATICA

DUX

CRITICAE PLATONICAE

ET

XENOPHONTEAE.

SPECIMEN TERTIUM.

Noli putare, me in animum induxisse iterum attingere argumentationes, quibus Socrates in Platonis Gorgia Poli theses evertit. Eandem quidem in hac schedula ducem dialecticam sequar, sed alias argumentationes expedire conabor, duas eas, quibus Socrates Calliclis sententiam post medium Gorgiam redarguit. Sunt hae illis breviores et duabus vel tribus tantum paginis continentur: quo autem breviores sunt et simpliciores, eo pluribus sordent praesertim amplis additamentis, vix aut ne vix quidem grammatica duce agnoscendis, cum saepe Graeca ipsa per se recte sese habeant. Tum etiam plures in his

sunt lacunae, eaeque insigniores quam quas antea in argumentationibus Socratis indicare et explere conatus sum. Ubi igitur ad eam Gorgiae partem, quae hae argumentationes continentur, progresso mihi constigit genuinum nitorem quodammodo restituere imprimis lacunas quasdam explendo, tertium hujus emendandi rationis specimen edere constitui.

Nil attinet hic repetere quae de ipsa dialectica Socratica et de argumentationibus Socratis in primo specimine praefatus sum, neque quae in secundo dixi de duplicis generis argumentis, ex dialectica et grammatica ductis, eidemque emendationi non raro simul suffragantibus. Sed nunc haec tantum lectorem monitum velim. In hac schedula non selectas quasdam emendationes separatim exhihebo, sed quamque argumentationem totam percurrens deinceps corrigam primum quibus argumentationem labefactarunt scribae, deinde quae, salva argumentatione, in grammatica peccarunt. Quam rationem etiam sequar quaedam corrigens in argumentationibus Socratis, quas Xenophon litteris mandavit. Quamquam enim eae apud Xenophonem integriores sunt a librariorum manibus et lectorum quam apud Platonem, satis tamen vulnerum habent, operaequa pretium est, etiam haec quomodo sananda sint ostendere. Promiscue igitur varia cum persecuturus sim, hic uno in conspectu pono nonnulla, quae ad idem genus pertinent caeterisque majoris momenti mihi esse videntur. Primum locum obtinent ipsa verba, quibus singulas lacunas suo quamque loco explendas esse demonstrabo: alterum

singula scribarum additamenta. Singulis adscribam eundem numerum, quem infra iisdem in margine adscriptum videbis, hunc in modum:

Singula lacunæ his verbis explentur.	καὶ τὸ ἀνιαρὸν τοῦ κακοῦ.	1
	ἴσως δὲ καὶ μᾶλλον οἱ κακοί.	5
	τοὺς ἀνιωμένους.	7
	τοὺς — κακοὺς	10
	ώς δεῖ	11
	Πῶς γὰρ οὖ; Οἱ ἄρ' ἀλλήλοις ὡς δεῖ χρώμενοι καλῶς πράττουσι τὸνθρώπεια πράγματα. . .	15
	χαίρων.	15
	πάσης.	16

Singula scribarum additamenta.	Ἐλεγετ — εἶναι — ἔγωγε.	2
	τῶν μὲν γὰρ ἀμα παύεται, τῶν δ' οὐ, ὡς ἐτέ- ρων δύτων. πῶς οὖν ταῦτα ἀν εἰη τὰ ἥδεα τοῖς ἀγαθοῖς ή τὰ ἀνιαρὰ τοῖς κακοῖς; . . .	5
	Σ. Καὶ οἱ ἄφρονες, ὡς ἔοικε. Κ. Ναί. . . .	4
	ἀγαθοὶ οἱ ἀγαθοὶ καὶ οἱ κακοί εἰσιν. . . .	6
	Καὶ μὴν ἐξ ἴσχυροτέρου γε τὸ ἀσθενέστερον καὶ ἐκ βραδυτέρου τὸ θᾶττον; Πάνυ γε. . . .	8
	ἀγαθὸς.	9
	δ εἰδὼς ᾧ — πως — νόμιμος ἀν εἰη. . . .	12
	Οὐκοῦν οἵ γε τὰ δίκαια ποιοῦντες δίκαιοι εἰσιν; Οἴμαι ἔγωγ' ἔφη.	14

sunt lacunae , eaeque insigniores quam quas antea in argumentationibus Socratis indicare et explere conatus sum. Ubi igitur ad eam Gorgiae partem , qua hae argumentationes continentur, progresso mihi constituit genuinum nitorem quodammodo restituere imprimis lacunas quasdam explendo, tertium hujus emendandi rationis specimen edere constitui.

Nil attinet hic repetere quae de ipsa dialectica Socratica et de argumentationibus Socratis in primo specimine praefatus sum, neque quae in secundo dixi de duplicis generis argumentis, ex dialectica et grammatica ductis, eidemque emendationi non raro simul suffragantibus. Sed nunc haec tantum lectorem monitum velim. In hac schedula non selectas quasdam emendationes separatim exhihebo, sed quamque argumentationem totam percurrens deinceps corrigam primum quibus argumentationem labefactarunt scribae, deinde quae, salva argumentatione, in grammatica peccarunt. Quam rationem etiam sequar quaedam corrigens in argumentationibus Socratis, quas Xenophon litteris mandavit. Quamquam enim eae apud Xenophonem integiores sunt a librariorum manibus et lectorum quam apud Platonem, satis tamen vulnerum habent, opera deque pretium est, etiam haec quomodo sananda sint ostendere. Promiscue igitur varia cum persecuturus sim, hic uno in conspectu pono nonnulla, quae ad idem genus pertinent caeterisque majoris momenti mihi esse videntur. Primum locum obtinent ipsa verba, quibus singulas lacunas suo quamque loco explendas esse demonstrabo: alterum

singula scribarum additamenta. Singulis adscribam eundem numerum, quem infra iisdem in margine adscriptum videbis, hunc in modum:

Singulæ lacunæ his verbis expletur	καὶ τὸ ἀνιαρὸν τοῦ κακοῦ.	1
	ἴσως δὲ καὶ μᾶλλον οἱ κακοί.	5
	τοὺς ἀνιωμένους.	7
	τοὺς — κακοὺς.	10
	ώς δεῖ.	11
	Πῶς γὰρ οὐ; Οἱ ἄρ' ἀλλήλοις ως δεῖ χρώμενοι καλῶς πράττουσι τὰνθρώπεια πράγματα. . .	15
	χαίρων.	15
	πάσης.	16

Σingula scribarum additamenta.	
Ἐλεγες — εἶναι — ἔγωγε.	2
τῶν μὲν γὰρ ἄμα παύεται, τῶν δ' οὐ, ὡς ἐτέ- ρων ὅντων. πῶς οὖν ταῦτα ἀν εἴη τὰ ἥδεα τοῖς ἀγαθοῖς ἢ τὰ ἀνιαρὰ τοῖς κακοῖς;	5
Σ. Καὶ οἱ ἀφρονες, ὡς ἔοικε. Κ. Ναι. . . .	4
ἀγαθοὶ οἱ ἀγαθοὶ καὶ οἱ κακοὶ εἰσιν.	6
Καὶ μὴν ἐξ ἴσχυροτέρου γε τὸ ἀσθενέστερον καὶ ἐκ βραδυτέρου τὸ θᾶττον; Πάνυ γε. . . .	8
ἀγαθὸς.	9
ὅ εἰδὼς ἂν — πως — νόμιμος ἀν εἴη.	12
Οὐκοῦν οἵ γε τὰ δίκαια ποιοῦντες δικαιοὶ εἰσιν; Οἴμαι ἔγωγ' ἔφη.	14

Haec singula , uti dixi , suo quodque loco persequemur. Sed quo facilius et rectius intelligantur argumentationes post medium Gorgiam obvias , paucis verbis ostendam , qua de re sit quaestio , et qua via disputatio ad argumentationes procedat. Disputant Socrates et Callicles de beata vita. Secundum Calliclem τὸ εὐδαιμόνως ζῆν est in τῷ ἀποπιμπλάναι ἀπάσας τὰς ἐπιθυμίας sive in τῷ πάντως χαίρειν ex. gr. in τῷ διψῶντα πίνειν , suntque οἱ εὐδαιμονες οἱ χαλφούτες ὅπως ἀν χαίρωσι. Socrates contra probare ei conatur , πᾶσαν εὐδαιμονίαν esse in τῷ κοσμίῳ καὶ τοῖς ἀεὶ παροῦσιν οἷανδις καὶ ἔξαρκούντως ἔχοντι βίῳ , eumque demum εὐδαιμονα esse qui μηδενὸς δεῖται. Sed frustra: nihil proficit disputando. Quidquid contra disputat , Callicles pertinaciter in sua sententia permanet. Socrates igitur argumentationibus syllogisticis eum refellere et convincere aggressurus , pedetentim sensimque disputationem eo non animadvertente deducit ad thesin vel potius ad hypothesisin quamdam , qua ntitur sententia ejus , quemadmodum solet facere eum , quo cum disputet , tandem argumentando obtusurus *. Quo facilius autem eo deducatur disceptatio , Plato primum Calliclem ipsum ultiro et incautum facit contendentem , deinde Socrati concedentem τὸ εὐδαιμόνως ζῆν idem esse ac τὸ ἡδέως sive χαίροντα ζῆν. Unde sequeretur , τὸν τοῦ ηγαμένου etc. τοῦ κιναΐδου βίον , quamquam αἰσχρὸν et

* Εἴ τις Σωκράτει περί του ἀντιλέγοι μηδὲν ἔχων σαφές λέγειν , ἀλλ' ἀνευ ἀποδείξεως — ἐπὶ τὴν ὑπόθεσιν ἐπανῆγεν ἀν πάντα λόγου. Sunt verba Xenophontis in Memor.

ἀθλιον, tamen esse τὸν τοῦ εὐδαιμονος. Quod cum Callicles, bene sentiens quantum habeat absurdum, tamen non confiteatur, sed indignetur ad talia a Socrate deductam disputationem, Socrates ei objicit, ipsum esse auctorem ejus, quod indignetur, quippe qui omnes ἡδονὰς ducat ἀγαθὰς, neque definiat, quales ἡδονῶν sint ἀγαθαὶ et κακαὶ sive quid τῶν ἡδέων sit ἀγαθὸν, quid κακόν. Huc igitur disputationis progressus Socrates jam tenet eum continuo ex eo quaerens: utrum ταῦτὸν judicet ἡδὺ et ἀγαθὸν, (nec non ἀνιαρὸν et κακὸν, quod per se intelligitur), an ἔτερον. Quae cum sit hypothesis, qua nititur Calliclis sententia, is laqueos non amplius effugere potest. Si enim ταῦτὸν i. e. si ἡδέα = ἀγαθὰ = εὐδαιμονία et si ἀνιαρὰ = κακὰ = ἀθλιότης, Calliclis sententia, si contra ἔτερον i. e. si ἡδέα non sunt ἀγαθὰ neque igitur εὐδαιμονία, et si ἀνιαρὰ non κακὰ neque igitur ἀθλιότης, Socratis sententia vincat necesse est. Callicles igitur non incallide periculum effugere conatur respondens, se, ne sibi ipse obloquatur, sentire ταῦτα illa esse. Verum Socrates, ei probaturus illa ἔτερα esse, eum tandem etiam callidius cogit ad argumentandum in 495 C. Ἐπιχειρῶμεν ἄρα τῷ λόγῳ. Sed, priusquam ad ipsum λόγον pergit, utriusque thesin diserte exprimit. Nimirum ipse haec se ponere ait: ἡδὺ et ἀγαθὸν non esse ταῦτὸν, sed ἐπιστήμην et ἀνδρείαν et ἀγαθὸν esse ταῦτὸν, Calliclem autem: ἡδὺ et ἀγαθὸν esse ταῦτὸν, sed ἐπιστήμην et ἀνδρείαν et ἀγαθὸν non esse ταῦτὸν, utpote qui assensus esset omnes tres et ἀνδρείαν et ἐπιστήμην et ἡδονὴν (ἡδοκὴ = ἀγαθὸν) in-

ter se differre. 495 C—E. De quibus eo consilio Socrates vult inter se et eum conveniat, ut utraque argumentatio bene et certo gradu procedere possit. Verum ea, quae hic de ἐπιστήμης et ἀνδρείας dicuntur, clarius intelligentur, ubi ad secundam argumentationem pervenerimus. Uti enim jam supra dixi, duae sunt argumentationes. Bene autem scito utramque esse duplicem. Prima continetur 495 E. εἰπὲ γάρ μοι, τοὺς εὖ πράττοντας — 497 D. ἐὰν δὲ βούλῃ. Altera ab his inde verbis decurrit usque ad verba οὐ ταῦτα συμβαίνει in 499 B.

Jam videamus de prima argumentatione. Toti primae praemittuntur haec in 495 E: τὸ εὖ πράττειν et τὸ κακῶς πράττειν sunt sibi invicem ἐναντία, et omnino τἀγαθὰ et ἡ εὐδαιμονία sunt ἐναντία τοῖς κακοῖς et τῇ ἀθλιότητι in 496 B: quaecunque sibi invicem ἐναντία sunt, ea homo οὐχ ἄμ' ἔχει et ab iis οὐχ ἄμ' ἀπαλλάξτεται ex. gr. εὖ πράττειν et κακῶς πράττειν, ὕγιαινεῖν et νοσεῖν: ergo omnia ea, quae homo ἄμ' ἔχει et a quibus ἄμ' ἀπαλλάξτεται, nullo pacto possunt esse ἀγαθὰ neque κακὰ, sed sine ulla controversia sunt ἔτερα et τὰν ἀγαθῶν et τῶν κακῶν. Quae omnia Callicles concedit postremo respondens 'Αλλ.' ὑπερφυῶς ὡς ὁμολογῶ in 496 C. Hic igitur demum prioris primae argumentationis partis initium est, in qua demonstratur λύπην (== ἐπιθυμίαν) et ἥδονὴν (== πλήρωσιν ἐνδείας) pertinere ad ea, quae homo ἄμ' ἔχει, ideoque necessario ἔτερα esse ἀγαθῶν et κακῶν, veluti in secunda parte vel potius in ejusdem argumentationis repetitione demonstratur eadem ad ea

pertinere, a quibus homo ἄμ' ἀπαλλάττεται, ideoque etiam ἔτερα esse ἀγαθῶν et κακῶν. Argumentatio prima, in qua quae homo ἄμ' ἔχει ἔτερα esse κακῶν et ἀγαθῶν demonstratur, sic procedit: Callicles hoc, τὸ πεινῆν, διψῆν et ἀπασταν ἐπιθυμίαν esse ἀνιαρὸν, τὸ πίνειν autem etc. esse ὥδον, assensus concedere cogitur, ubi dicit διψῶντα πίνειν esse ὥδον, illud διψῶντα tamen λυπούμενον esse, πίνειν autem χαίρειν, seque igitur dicentem διψῶντα πίνειν dicere λυπούμενον χαίρειν ἄμα, utrumque enim ἄμα fieri in 496 E med. Quibus a Callicle concessis, Socrates summatim repetit superius concessa in 49b E ἘΑΛΛÀ μὴν /6 εὖ γε πράττοντα κακῶς πράττειν ἄμ' ἀδύνατον Φίς εἶναι. et modo concessa in 496 C—E ἘΑΝΙΩΜΕΝΟΝ δέ γε χαίρειν δυνατὸν ὀμολόγηκας. (497 A). Ex his ultimis igitur excidisse contendeo vocem, quae est quasi cardo argumentationis. Recte se haberent illa per se, si sic scripta essent: ἘΑΛΛÀ μὴν εὖ γε πράττοντα κακῶς πράττειν ἀδύνατον, argumentatio autem additum requirit ἄμα. Sed haec ne tunc quidem ferri possent sic scripta: ἘΑΝΙΩΜΕΝΟΝ δέ γε χαίρειν δυνατὸν. si non posita essent in argumentatione. Magis adeo requiritur in his vox ἄμα, praesertim in conclusioni proxime praemissis. Neque deest ea in iis, quae in altera argumentationis parte conclusioni praemittuntur, his: Οὐκοῦν καὶ τῶν λυπῶν καὶ τῶν ὥδον ἄμα παύεται; — ἘΑΛΛÀ μὴν τῶν γ' ἀγαθῶν καὶ κακῶν οὐχ ἄμα παύεται —. (497 C). Verum neque tantum assensus erat Callicles διψῶντα πίνειν esse ἀνιώμενον sive λυπούμενον χαίρειν, sed etiam se illud dicen-

tem hoc ἄμα dicere, ut revera ἄμα sit. Quod ipsum est τὸ συμβαῖνον ex omnibus dictis in 496 D et E, sine quo nulla conclusio ex argumentatione effici potest. Quare, ne partim repetantur concessa, inserendum ἄμα ante δύνατόν. Atque nunc demum recte ex praemissis efficitur haec conclusio: Οὐκ ἄρα τὸ χαίρειν ἐστὶν εὖ πράττειν, οὐδὲ τὸ ἀνιᾶσθαι κακῶς, ὡσθ' ἔτερον γίγνεται τὸ ἥδον τάγαθοῦ. Verum hic est lacuna in omnibus codicibus et editionibus. Duo sunt per totam argumentationem, uti et hic, τὸ χαίρειν et τὸ ἀνιᾶσθαι, duo τὸ εὖ πράττειν et τὸ κακῶς πράττειν. Et si alterutrum horum duorum conjungis, iterum duo habes et τὸ χαίρειν (= ἥδον) non esse εὖ πράττειν (= ἀγαθὸν) et τὸ ἀνιᾶσθαι (= ἀνιαρὸν) non esse κακῶς πράττειν (= κακόν). Unum igitur tantum hoc ὡσθ' ἔτερον γίγνεται τὸ ἥδον τάγαθοῦ iis subjungi non potest, sed necessario alterum addendum hoc: καὶ τὸ ἀνιαρὸν τοῦ κακοῦ, ne manca sit conclusio. Adest etiam utrumque supra in 496 C. ἡ ἀνθρωπος ἄμ' ἔχει — οὐ — τό τ' ἀγαθὸν καὶ τὸ κακόν. unde tota argumentatio proficiscitur. Praeterea vide eandem conclusionem in ejusdem argumentationis repetitione, ex iisdem praemissis effectam in 497 D, hanc: Ergo — οὐ ταῦτα γίγνεται τάγαθὰ τοῖς ἥδέσιν οὐδὲ τὰ κακὰ τοῖς ἀνιαροῖς. Quibus si deessent ultima οὐδὲ τὰ κακὰ τοῖς ἀνιαροῖς, etiam haec conclusio manca esset. Haec ita sunt emendanda flagitante argumentatione.

Superest, ut etiam tollamus alias mendas, quamquam non ipsa argumentatio iis labefactata est. In

495 E legitur ἀνάγκη περὶ αὐτῶν ἔχειν ὥσπερ περὶ
ὑγιείας ἔχει καὶ νόσου. Unus codex pro ἔχει habet
τε, quod nemo certe dubitat mecum reponere. In
496 C Σ. "Ιθι δὴ ἐπὶ τῷ μπροσθεν ὡμολογημένα. τὸ 2
πεινῆν ἔλεγες πότερον ἢδιν ἢ ἀνιαρὸν εἶναι; αὐτὸ²
λέγω τὸ πεινῆν. K. 'Ανιαρὸν ἔγωγε. Quae sunt illa
ὡμολογημένα? Haec: τὸ ἡδέως ζῆν esse ἐν τῷ πεινῆν
καὶ πεινῶντα ἐσθίειν (494 B), quae Socrati assentitur
Callicles nullo modo suspectum habens illud πεινῆν
solum, uti patet ex iis, quae ipse ultero iis addit,
his: ἐν τῷ τὰς ἐπιθυμίας ἀπάστας ἔχοντα — δύνασθαι πλη-
ροῦν. ubi non legitur ἐν τῷ ἔχειν — καὶ ἔχοντα δύνα-
σθαι πληροῦν. Haec tantum ὡμολόγηται. De ipso au-
tem πεινῆν solo quid sit ne verbum quidem usquam
dixit Callicles. Apparet igitur librarios opinatos ip-
sum, quod Socrates hic loci quaerit, jam supra ὡμο-
λογήσθαι, addidisse illud ἔλεγες et εἶναι nec non ἔγω-
γε, uti etiam καὶ ἔγωγε ante Μανθάνω, quod mox.
Omittendae igitur tres illae voces, ut etiam bona
demum constructio redeat haec: Σ. "Ιθι δὴ ἐπὶ τῷ μ-
προσθεν ὡμολογημένα. τὸ πεινῆν πότερον ἢδιν ἢ ἀνιαρόν;
αὐτὸ λέγω τὸ πεινῆν. K. 'Ανιαρόν.

Pergimus ad alteram ejusdem argumentationis par-
tem, quae legitur in 497 C—D fin. estque fere re-
petitio ejusdem argumentationis. Socrates hic de-
monstrat, ea, quorum homo ἄμα ἀπαλλάξτεται, non
esse τάχαθὲ neque τὰ κακά. Callicles primum as-
sentitur, hominem ἄμα διψῶντα (= ἀνιώμενον) et ἄμα²
ἡδόμενον (= πίνοντα) παύεσθαι sive ἀπαλλάττεσθαι.
deinde eum ἄμα omnium ἐπιθυμιῶν (= ἀνιαρῶν) et ἄμα

omnium ἡδονῶν (= ἡδέων) ἀπαλλάσσεσθαι. Atque his concessis et summatim repetitis una cum supra in 496 C praemissis, Socrates hanc argumentationi conclusionem imponit: Ergo — οὐ ταῦτὰ γίγνεται — τἀ-γαθὰ τοῖς ἡδέσιν οὐδὲ τὰ κακὰ τοῖς ἀνιαροῖς. [τῶν μὲν γὰρ ἄμα παύεται τῶν δ' οὐ, ὡς ἐτέρων ὅντων. πᾶς οὖν ταῦτα ἀν εἴη τὰ ἡδέα τοῖς ἀγαθοῖς οὐ τὰ ἀνιαρὰ τοῖς κακοῖς;] Uncis inclusa continent languidam repetitionem totius argumentationis, omni ἀνάγκῃ carentem, quae in ipsa argumentatione inest. Primum enim in illis τῶν μὲν γὰρ ἄμα — ὡς ἐτέρων ὅντων. probanda cum praemissis miscentur et misere confunduntur: tum etiam in illis πᾶς οὖν ταῦτα — τοῖς κα-κοῖς; eadem conclusio repetitur, sed ita mutata, ut dubitanter disputantis sit, non evidenter argumen-tantis. Si haec Socrati tribuis, ipsum facis labefactantem et enervantem totam suam argumentatio-nem. Evidem illa omnia Platone prorsus indigna-judico. — Caeterum corrige in 497 C ἀποκρίνου, εἰ οὐχ ἄμα παύεται. reddendo illud εἰ librariis: deinde in D Ἀλλὰ μὴν τῶν ἀγαθῶν — ὡς σὺ ὀμολόγεις. in-sere γ' post τῶν, quod in duobus codicibus post σὺ migravit. Haec quivis facile sibi probabit. Videndum de secunda argumentatione.

Ad secundam argumentationem Socrates' pergit in 497 D dicens ἐὰν δὲ βούλῃ καὶ τῇδ' ἐπίσκεψαι, eam-que ad finem perducit in 498 D, ubi Callicles re-spondet Ἀλλὰ μὰ ΔΙ' οὐκ οἶδ' οὐ τι λέγεις. Quod re-sponsum cum sit nondum convicti, Socrates planius repetit eandem argumentationem et strictius connec-

tens praemissa et magis pedetentim a verbo ad verbum progrediens in 498 D οὐκ οἶσθ' ὅτι — 499 A οὐ ταῦτα συμβαίνει. — Socrates nunc aliis armis aggreditur Calliclem. Nimirum demonstrat, omnium maxime absurdum et ridiculum cogi admittere ac probare eum, qui ταῦτὸν esse οὐδὲν et ἀγαθὸν, ταῦτὸν esse ἀνιαρὸν et κακὸν contendat. Sed redeundum ad 495 C, D. Socrates hic ponit, tria haec et ἐπιστήμην et ἀνδρεῖαν et ἀγαθὸν (non = οὐδὲν) inter se non differre. Callicles contra, tria ea inter se differe, cum ἀγαθὸν ei sit = οὐδὲν, idque immemor suerum dictorum in 491 B et C. ubi dixerat τοὺς βελτίους (= ἀγαθὸν) esse τοὺς φρονίμους (= ἐπιστήμην) et ἀνδρείους (= ἀνδρεῖαν). Tenet igitur Socrates nunc iterum eum οὐδέποτε ταῦτα περὶ τῶν αὐτῶν λέγοντα, his verbis instituens argumentationem in 497 E. Tί δαί; ἀγαθὸνς ἀνδρας καλεῖται (495 C, D.) τοὺς ἀφρονατας καὶ δειλούς; οὐ γάρ ἄρτι γε (491 B), ἀλλὰ τοὺς ἀνδρείους καὶ φρονίμους ἔλεγες. Ηγούτους ἀγαθὸνς καλεῖται; ad quae Callicles nihil audens contra dicere respondet Πάντα μὲν οὖν. Hic locus igitur nunc demum recte intelligitur. Socrates enim in eo simul respicit ad superiora (in 495 C et D et 491 B et C), simul eam distinctionem inter ἀγαθὸν et κακὸν instituit, quam novae argumentationi necessario praemittendam censem, Calliclem in argumentatione docturus utrisque commune esse τὸ χαίρειν (= οὐδὲν = ἀγαθὸν) et hujus contrarium. Socrates igitur etiam in hac et sequenti argumentatione proficiscitur ab iis, quae praemonere eum supra dixi Calliclis sententiam ar-

gumentationibus eversurum. Quod etiam clarius apparet ex ipsis argumentationibus, quarum primam nunc expedire conabor.

Postquam convenit inter disputantes τοὺς ἀγαθοὺς ἀγαθῶν παρουσίᾳ esse ἀγαθοὺς (nec non τοὺς κακοὺς κακῶν παρουσίᾳ esse κακοὺς, quod per se intelligitur. Conf. 498 D), et τοὺς ἄνδρειους et Φρονίμους esse ἀγαθοὺς, τοὺς δειλοὺς autem et ἄφρονας esse κακοὺς (497 E), Socrates duo diversa concedenda Callicli proponit, inde a verbis Τί δέ; παῖδα ἀνόητον 497 E usque ad 498 B ΚΑΛ. Ἰσως: primum τοὺς ἄφρονας sive ἀνοήτους παραπλησίως sive non minus χαίρειν et λυπεῖσθαι quam τοὺς Φρονίμους: deinde inde a verbis Ἀλλ' ἀρκεῖ καὶ τοῦτο in 498 A., τοὺς δειλούς non παραπλησίως sed μᾶλλον ἵσως χαίρειν et λυπεῖσθαι quam τοὺς ἄνδρειους. Unde patet, Socratem de δειλοῖς et ἄνδρειοι loqui, postquam absolvit de Φρονίμοις et ἄφροσι. Quis igitur est, qui fecerat quae leguntur in 498 B, ΣΩ. Καὶ οἱ ἄφρονες, ὡς ἔσοικε. ΚΑΛ. Ναὶ. interposita inter illa ἀπίστων τῶν πολεμίων (in 498 A) et προσιόντων (in B)? Quid commune ἄφρος cum πολεμίοις? Videsis, quanta subtilitas, quam accurata disserendi ratio in his argumentationibus insit. Ut enim duae diversae res sunt ἐπιστῆμη et ἄνδρεια, sic etiam duo sunt alter Φρόνιμος — ἄφρων alter ἄνδρειος — δειλὸς, uterque cum suo ἐναντίῳ diversi generis. Atque haec distinctio inde ab initio per totam argumentationem observatur. Ubique de alterutro cum suo ἐναντίῳ non minus distincte sermo est quam de alterutra illarum duarum. Adeo igitur tur-

bant ordinem omnemque disserendi subtilitatem tollunt verba illa interposita ac si, primum de ἐπιστήμης deinde de ἀνδρεῖας sicubi sermo esset, mediis iis, quae de hac dicerentur, aliquid de illa immixtum et repetitum esset. Haec subtilitas fere mathematica fugit scribas. Ego igitur contendo nusquam apud Platonem tam turbate scripta ferri posse, nemendum in argumentatione Socratica, et censeo sex illa verba librariis reddenda. Pro his autem totidem verba in 498 C. Παραπλησίως ἄρα χαίρουσι καὶ λυποῦνται οἱ ἀγαθοὶ καὶ οἱ κακοί. K. Φημί. post οἱ κακοί Platoni reddenda, haec τὸς δὲ καὶ μᾶλλον οἱ κακοί. Monitus fortasse jam unus et alter sentit, quae ἀνάγκη has voces reposcat. Lubet tamen mihi, qua ratione soleo, etiam hoc ἔρματον καὶ εὐτύχημα Platonii vindicare in gratiam eorum, qui ἀνάγκην illum fortasse non videbunt. Contendo igitur magnam hic esse lacunam in omnibus codicibus. Nam οἱ κακοί nullo pacto dicī possunt μᾶλλον ἀγαθοὶ καὶ κακοὶ, uti mox in C, et 499 A dicuntur, si tantum παραπλησίως non etiam μᾶλλον eos χαίρειν et λυπεῖσθαι antea concessum est. Tum etiam in voce μᾶλλον est quasi cardo argumentationis, ejusque opera id, quod absurdī habet Calliclis sententia, etiam clarius quam τοῦ παραπλησίως opera in lucem prodit. Porro hoc attendendum: in praemissis ter repetitur illud μᾶλλον χαίρειν et λυπεῖσθαι. Numne igitur putas Platonem in conclusione oblivisci ejus potuisse? Quid multa? In 498 D — 499 A Socrates Callicli nondum convicto iterum idem conatur probare ubique

utens illis παραπλησίως (sive διμοίως) — μᾶλλον, et ad conclusionem progressus haec quaerit: Ἀνιᾶσθαι δὲ καὶ χαίρειν τὸν ἀγαθὸν καὶ κακὸν διμοίως (= παραπλησίως), ίσως δὲ καὶ μᾶλλον τὸν κακόν (Φαμεν. ἦ γάρ;) et mox Οὐκοῦν διμοίως — οὐ καὶ μᾶλλον — ; Unde ipsae voces, post eadem praemissa etiam hic postulatae, prodeunt ίσως δὲ καὶ μᾶλλον οἱ κακοὶ, quibus explenda lacuna in 498 C, quam indicavimus. His autem argumentis accedit prorsus aliis generis hoc. Nullae voces facilius omitti possunt et revera omitti solent, quam vocum sibi similium brevique spatio quodam disjunctarum alterutra cum omnibus verbis inter eas interpositis, praesertim earumdem vocum, quales hic sunt οἱ κακοὶ — οἱ κακοὶ. Cujusmodi omissionis quivis lectiones codicum percurrent sexcenta exempla potest videre. Sed quis exempla desiderat, qui hanc librariorum negligentiam et audaciam viderit? Proxima enim in 498 C sic nobis tradiderrunt: Ἡρ' οὖν παραπλησίως εἰσὶν ἀγαθοὶ καὶ κακοὶ οἱ ἀγαθοὶ τε καὶ οἱ κακοὶ; οὐ καὶ ἔτι μᾶλλον [ἀγαθοὶ οἱ ἀγαθοὶ καὶ οἱ κακοὶ εἰσὶν] οἱ κακοὶ; Nonne ab Attici auctoris orationem ita foedare audentibus omnia alia exspectari possunt? Recte jam alii viderunt οἱ ἀγαθοὶ, quod est post secundum ἀγαθοὶ, et οἱ, quod est ante penultimum κακοὶ delenda esse. Verum his deletis Attica constructio nondum est restituta. Omnia delenda quae uncis inclusimus. Post μᾶλλον vel ἤτοι, sim. nusquam voces in eadem periodo praemissae repetuntur, sed ubique ellipsis habet Atticus sermo. — Superest ut videamus de 497 E — ὥσπερ

τοὺς καλοὺς οἵς ἀν κάλλος παρῆ; quae cum plene scripta sic se haberent ἀσπερ τοὺς καλοὺς τούτους, οἵς ἀν κάλλος παρῆ; articulus τοὺς delendus. Quem etiam in Xen. Anab. 7. 7, 50 ποτέρως οἵει — μᾶλλον — σωΦρονεῖν [τὰ] πρὸς τέ. nunc judico librariis deberi. Conf. Cyrop. 3. 2, 4. Antea putabam scriptum fuisse Φρονεῖν, quod haud absimili sensu occurrit apud Aristophanem.

Pervenimus ad ultimam argumentationem, quae legitur in 498 D. Οὐκ οἶσθ' ὅτι τοὺς ἀγαθοὺς — 499 A. οὐ ταῦτα συμβαίνει. Socrates in hac, uti diximus, planius repetit eandem argumentationem. Primum demonstrat, ἀγαθοὺς esse οἱ ἀν χαίρωσι, hac ratione (in D in.): οἱ ἀγαθοὶ = ἀγαθῶν παρουσίᾳ sunt ἀγαθοί: ($\tau\acute{a}$ ἀγαθὰ = αἱ ἡδοναὶ): οἱ χαίροντες = οἵς αἱ ἡδοναὶ ($\tau\acute{a}$ ἀγαθὰ) πάρεισιν: Ergo — cum ἀγαθῶν παρουσίᾳ sint ἀγαθοὶ οἱ χαίροντες — ἀγαθοὶ ($\ddot{\alpha}\rho'$) οἱ ἀν χαίρωσι (in E). Haec omnia optime se habent. Deinde autem prorsus eadem argumentandi ratione utens Socrates demonstrat, κακοὺς esse οἱ ἀν ἀνιῶνται, sic: οἱ κακοὶ = κακῶν παρουσίᾳ sunt κακοί (in D in.): ($\tau\acute{a}$ κακὰ = αἱ ἀντιτίθεμεναι sive λῦπαι): οἱ ἀνιώμενοι = οἵς αἱ λῦπαι (= $\tau\acute{a}$ κακὰ) πάρεισιν: Ergo — cum κακῶν παρουσίᾳ sint κακοὶ οἱ ἀνιώμενοι, — κακοὶ ($\ddot{\alpha}\rho'$) οἱ ἀν ἀνιῶνται (in E) *. Nemo, opinor, unum hujus ar-

* Possis has argumentandi formulas sic scribere:

I. A οἱ ἀγαθοὶ = B ἀγαθῶν παρουσίᾳ sunt ἀγαθοὶ

B οἵς αἱ ἡδοναὶ (= $\tau\acute{a}$ ἀγαθὰ) πάρεισι = C οἱ χαίροντες

Ergo — quod C οἱ χαίροντες (B ἀγαθῶν παρόντων) = A sunt ἀγαθοὶ, —

A ἀγαθοὶ = C οἱ ἀν χαίρωσι.

gumentandi formulae verbum mutare aut movere potest, neque igitur illa in E. Κακῶν δέ γε παρουσίᾳ φῆς σὺ εἶναι κακοὺς τοὺς κακούς pro sanis habere. Nam τῷ κακῶν παρουσίᾳ εἰσὶ κακοὶ οἱ κακοί. subjungi posset τὸ κακοὶ ἄρ' οἱ ἀν κακοὶ ὅσιν, non vero τὸ κακοὶ ἄρ' οἱ ἀνιώνται, quae necessario flagitant praemissum τὸ κακῶν παρουσίᾳ εἰσὶ κακοὶ οἱ ἀνιώμενοι. Dialectica igitur duce voces τοὺς ἀνιωμένους reduximus. Itaque his receptis sic scripsit Plato: Κακῶν δέ γε παρουσίᾳ φῆς σὺ εἶναι κακοὺς τοὺς ἀνιωμένους. non vero τοὺς κακούς. Concessitne igitur, dicis fortasse, Callicles idem supra in D κακοὺς δὲ κακῶν; i. e. plene, uti mox ostendam, τοὺς δὲ κακοὺς φῆς εἶναι κακοὺς κακῶν παρουσίᾳ; ita ut in illis (in E) ad haec (in D) respiciatur eademque repetantur, et potius verba Οὐκοῦν ἀγαθῶν παρόντων ἀγαθοὶ εἰσιν οἱ χαίροντες; corrigenda sint scribendo οἱ ἀγαθοὶ pro οἱ χαίροντες? Verum sic uno fere tenore, una tantum interrogatione interposita, bis idem scribere non potuit Plato. Praeterea Socrates nunc nihil novi concedendum Callicli proponit: omnia

II. A οἱ κακοὶ = B κακῶν παρουσίᾳ sunt κακοὶ
B οἵσαι λῦπαι (= τὰ κακὰ) πάρεισι = C οἱ ἀνιώμενοι
Ergo — quod C οἱ ἀνιώμενοι (B κακῶν παρουσίᾳ) = A
sunt κακοὶ —

A κακοὶ = C οἱ ἀνιώνται.

Quemadmodum igitur fieri non potest, ut in IC usquam sit οἱ ἀγαθοὶ, neque in IIIC usquam οἱ κακοὶ esse potest.

enim Callicles jam concesserat in superiori argumentatione. Atque ideo illis φῆς et φαμὲν per totam argumentationem utitur. Itaque ex illis φῆς — οὐκέτι φῆς nullo pacto confici potest superius in eadem hac argumentatione dicta repeti vel respici. Fortasse nondum credis mihi, nescio qua loci intelligentia fretus quibusve argumentis. Videsis igitur, an hoc argumentum te sinat amplius dubitare. Verborum κακῶν δέ γε παρουσίᾳ illa δέ γε, uti ubique, sic etiam hic antithesin quamdam significant in his et praecedentibus, quae sunt οὐκοῦν ἀγαθῶν παρόντων, ἀγαθοὶ εἰσιν οἱ χαιρούτες; ubi satis mirum librarios non omisisse οἱ χαιρούτες et scripsisse οἱ ἀγαθοὶ. Tandem accipe etiam hoc argumentum. Si argumentans quid ex superius in eadem argumentatione concessis post alia interposita repetit, semper utitur formula 'Αλλὰ μὴν — γε vel Καὶ μὴν — γε. Etiam hic igitur alterutram harum adhibuisset Plato, si scripsisset τοὺς κακούς. Unum omnium instar vide exemplum in 496 E 'Αλλὰ μὴν εὖ γε πράττοντα — 'Αγιώμενον δέ γε χαιρεῖν — . Et alterius formulae hoc in 479 D. Καὶ μὴν ἀπαλλαγή γε — Τὸ δέ γε μὴ διδόναι — . Unde utriusque locutionis et τοῦ 'Αλλὰ (vel Καὶ) μὴν — γε et τοῦ δέ γε vis simul quam clarissime innotescit.

Non possum, quin etiam nunc verbo et exemplo ostendam, quid in universum ex talibus in criticam redundet. Dialectica enim duce argumentationes persequentes et corrigentes vim locutionum in iis ob viarum demum rec-

te cognoscimus, et sic nobis quasi via monstratur ad alia corrigenda, quae nos antea non offendebant. Exemplis in secundo specimine exhibitis unum ad-
 8 dam. In Phdone 71 A leguntur haec: Καὶ μὴν ἔξ
ἰσχυροτέρου γε τὸ ἀσθενέστερον καὶ ἐκ βραδυτέρου τὸ
θάττον; Πάνυ γε. Τί δαί; ὅν τι χεῖρον γίγνηται κτέ.
 Num illa Καὶ μὴν — γε — Πάνυ γε. ferre potes me-
 mor eorum, quae dixi de usu formulae Καὶ μὴν —
 γε? Quod argumentum igitur se demum mihi obtulit
 instituenti inquisitionem hujus locutionis, postquam
 mihi persuaseram argumentationes ipsas per se flagitare
 correctiones in Gorg. 498 B et E, quas indicavi,
 idem nunc afferens contendendo verba illa ex Phaedone
 librariis deberi, quamquam ipsa argumentatio iis
 non labefactata est. Supra enim sola haec ἐναντία
 nominantur: καλὸν et αἰσχρὸν, δίκαιον et ἄδικον: tum
 etiam ejusdem generis rerum enumeratio per se re-
 spuit illam formulam. Quare dele illa, ut quae con-
 structio inest in proxime praecedentibus — δταν τι
 μεῖζον γίγνηται — καν ἔλαττον γίγνηται — . eadem,
 illis deletis, continuetur in sequentibus his Τί δαί,
 ὅν τι χεῖρον γίγνηται. Sed pro δαί recipe ex nonnullis
 codicibus δέ, quod, illo additamento interposito, in
 δαί mutandum esse censuerunt. Plato saepius ea-
 dem illa ἐναντία inter alia ἐναντία enumerat ex. gr.
 Gorg. 496 B. Οὐκοῦν καὶ ἴσχὺν καὶ ἀσθένειαν — ; —
 Καὶ τάχος καὶ βραδυτήτα; ubi si esset scriptum
 Καὶ μὴν καὶ τάχος γε κτέ. nullus dubitarem etiam
 haec delere. Scribæ igitur vel lectores talium me-

mores illa in Phaedone inseruerunt: sed prodit eos perverse adhibita locutio Attica. Haec ἐν παρόδῳ, re-deundum ad Gorgiam.

In. 499 A secundae argumentationis conclusio haec legitur: Σ. Ἀνιᾶσθαι δὲ καὶ χαίρειν τὸν ἀγαθὸν καὶ κακὸν ὄμοιως, ἵσως δὲ καὶ μᾶλλον τὸν κακὸν (Φαμεν. ἢ γάρ;) K. Ναὶ. Σ. Οὐκοῦν ὄμοιως γίγνεται κακὸς καὶ 9 ἀγαθὸς τῷ ἀγαθῷ ἢ καὶ μᾶλλον ἀγαθὸς ὁ κακός; Nemo non videt ad ἵσως δὲ καὶ μᾶλλον cogitatione duo verba repetenda esse et ἀνιᾶσθαι (=κακὸν) et χαίρειν (=ἀγαθὸν). Quae igitur ἀνάγκη dialectica in illis Οὐκοῦν ὄμοιως γίγνεται κακὸς καὶ ἀγαθὸς τῷ ἀγαθῷ. nullo pacto unum ἀγαθὸς, sed necessario duo illa κακὸς καὶ ἀγαθὸς flagitat ob duo illa quae ὄμοιως dicuntur πάσχειν ὁ ἀγαθὸς καὶ ὁ κακός, eadem ἀνάγκη in illis ἢ καὶ μᾶλλον ἀγαθὸς ὁ κακός; post voculam μᾶλλον poscit haec duo κακὸς καὶ ἀγαθὸς, cum eadem illa duo μᾶλλον πάσχειν dicatur ὁ κακός. Verum neutrum recipiendum, sed per ellipsis ita locus scribendus ἢ καὶ μᾶλλον ὁ κακός; Quodsi totam supplere velles ellipsis, etiam pluribus verbis opus esset et scribendum hunc in modum: ἢ καὶ μᾶλλον κακὸς καὶ ἀγαθὸς τοῦ ἀγαθοῦ ὁ κακός; Quos igitur deprehendimus male supplentes ellipsis in 498 C, quippe qui nimii fuerint in illa supplenda, eosdem in ejusdem conclusionis repetitione deprehendimus male supplentes ellipsis, quippe qui parciores fuerint in hac supplenda. Olim putabam, Platonem revera ita ἢ καὶ μᾶλλον ἀγαθὸς ὁ κακός; hoc consilio scripsisse, ut eo magis eluceat quam absurda concedere cogatur,

is, qui ἀγαθὸν = ήδὺ ducat et κακὸν = ἀνιαρόν. Itaque cum nondum illam ἀνάγκην in argumentationibus videbam, quam nunc mihi persuasum est iis inesse, tunc arbitrabar Platonem etiam priora sic scripsisse: Οὐκοῦν ὁμοίως γίγνεται ἀγαθὸς τῷ ἀγαθῷ (— ὁ κακὸς;) omissis vocibus κακὸς καὶ post γίγνεται, idque eodem consilio, ut absurdiora viderentur. Verum nunc aliter judico. Sive enim dicas ὁ κακὸς est ὁμοίως ἀγαθὸς τῷ ἀγαθῷ, vel etiam μᾶλλον ἀγαθὸς τοῦ ἀγαθοῦ: sive dicas ὁ κακὸς est ὁμοίως κακὸς τῷ ἀγαθῷ, vel etiam μᾶλλον κακὸς τοῦ ἀγαθοῦ: nonne habent haec omnia per se satis repugnantiae? nonne omnia omnium absurdissima? Olim igitur illa hallucinabar, nunc autem omnes partes totius comparationis, quae inter τὸν ἀγαθὸν et τὸν κακὸν secundum absurdam Calliclis thesin instituitur, praeassertim in conclusione repetendas et retinendas esse censeo, idque cogente tota argumentatione. Caeterum aptissime hic laudant interpretes Phil. 55 B. — πολλὴ ἀλογία ἐνυπβαίνει γίγνεσθαι, ἐάν τις τὴν ἡδονὴν ὡς ἀγαθὸν ἡμῖν τιθῆται. — τὸν μὴ χαίροντα ἀλγοῦντα δ' ἀναγκάζεσθαι Φάναι κακὸν εἶναι τότε, δταν ἀλγῆ, κανὴ ἢ ἄριστος πάντων, καὶ τὸν χαίροντα αὖ, δτῷ μᾶλλον χαίρει, τότε, δταν χαίρη, τοσούτῳ διαφέρειν πρὸς ἀρετήν. — Πάντα — ταῦτ' — ἀλογώτατα. — Superest 10 ut sola grammatica duce corrigamus 498 D Οὐκ οἴσθ, δτι τοὺς ἀγαθοὺς ἀγαθῶν Φῆς παρουσίᾳ εἶναι ἀγαθοὺς, κακοὺς δὲ κακῶν; Qui ita loquitur: οἱ ἀγαθοὶ ἀγαθῶν παρουσίᾳ εἰσὶν ἀγαθοὶ, κακοὶ δὲ κακῶν (παρουσίᾳ), is dicit hoc: οἱ ἀγαθοὶ sunt ἀγαθοὶ, si bona

iis adsunt, iidem autem sunt κακοὶ, si mala iis adsunt. Qui sensus cum refragetur omnibus, quae his paginis dicuntur, verba τοὺς κακοὺς excidisse appareret. Plato igitur pro κακοὺς δὲ κακῶν; scripsit τοὺς δὲ κακοὺς κακοὺς κακῶν; i. e. plene scripta τοὺς δὲ κακοὺς κακοὺς κακῶν παρουσίᾳ Φύς εἶναι; Ne miremur ex talibus verbis deinceps positis ἀγαθοὺς — ἀγαθῶν — ἀγαθὸν — κακοὺς — κακοὺς — κακῶν unum vel alterum a scribis omissum esse. Quivis codicum lectiones perlustrans in omissionis huic similis sexcenta exempla incidet. — Jam quibus armis Platonem defendimus, iisdem Xenophontem defendamus contra scribarum injuriam.

Olim attigi, nescio in quo diario, argumentationem Socraticam, quae legitur apud Xenophontem in Memor. 4. 6, 2—5., arbitratus lacunam esse in 3. ⁷Αρ' οὖν **11** δὲ εἰδὼς τοὺς θεοὺς τιμᾶν οὐκ ἀλλως οἴεται δεῖν τοῦτο ποιεῖν οὐκ ὡς οἴδεν; inter εἰδὼς et τοὺς θεοὺς, eamque explendam his duabus vocibus ὡς δεῖ. Sed hanc correctionem non iis argumentis me confirmasse credo, quibus talia confirmata a nemine amplius in dubium vocari possunt. Tunc enim ne umbram quidem videbam ~~ἀφάγκης~~ argumentationum harum propriae. Alia igitur et certa argumenta haec nunc audias. Mathematicos imitans brevitatis et perspicuitatis causa litteris utar. Si quis sic ratiocinatur: A est = B: B autem = C: et C = D: Ergo A = D, nonne necessario B et B sibi prorsus similes esse debent, item C et C, ut A = D bona conclusio esse possit? — Jam nemo igitur haec:

ita scribere non potuit Xenophon, neque alias ullus auctor Atticus. Scribam primam partem uti Atticus eam scripsisset, si iisdem verbis Οὐκ, ἀλλὰ — ἔστι νόμιμα uti voluisse. Scripsisset: Οὐκ, ἀλλὰ καὶ ὁ τὰ περὶ τούτους νόμιμα εἰδὼς —: unde apparet illud ὁ εἰδὼς librariis deberi, similitudinem quamdam cum ultimis superioris argumentationis in his restituere conantibus. Abjecto igitur hoc cum omnibus, quae, hoc semel addito, addenda esse censuerunt, ut quae-dam scilicet sententia et constructio rediret, sic hie locus scribendus: Οὐκ, ἀλλὰ καὶ περὶ τούτους ἔστι νόμιμα, καθ' ἂ δεῖ ἀλλήλοις χρῆσθαι. Ab his demum recte proficiscitur Socrates argumentationem insti-tuens. Illud ὁ εἰδὼς autem in tertia tandem parte suum habet locum. — Ipsam porro argumentationem diligenter persequentes quatuor partibus eam constare comperimus. Prima (in 5). Οὐκοῦν οἱ κατὰ ταῦτα — τὰνθρώπεια πράγματα. demonstratur τοὺς ἀνθρώπους ὡς δεῖ χρωμένους καλῶς πράττειν τὰνθρώπεια πράγματα. Secunda Οὐκοῦν οἱ τοῖς νόμοις — (in 6) ποιοῦσι καὶ ἀ δεῖ. demonstratur τοὺς (in universum) τοῖς νόμοις πει-thomένους (i. e. hic τοὺς κατὰ τὰ νόμιμα ὡς δεῖ χρω-μένους etc.) ποιοῦντας ἢ οἱ νόμοι κελεύουσι ποιεῖν δί-καια et ἢ δεῖ. Tertia Οἷει οὖν τινας — εἰδότες τὰ δίκαια ποιοῦσι. demonstrat Socrates τοὺς εἰδότας quae secundum alteram partem περὶ ἀνθρώπους sibi faci-enda sunt ποιεῖν τὰ δίκαια. Quarta τοὺς εἰδότας κτέ. ποιοῦντας τὰ δίκαια esse δικαῖους. Quibus omnibus tandem haec conclusio imponitur. Ergo δίκαιοι sunt οἱ εἰδότες etc. Jam haec cum ipsa argumentatione

conferens comperiet primae parti conclusionem deesse, cum verba Οὐκοῦν οἱ τοῖς νόμοις πειθόμενοι sine ulla controversia ad secundam partem pertineant. Contendimus igitur magnam lacunam esse post verba Οὐκοῦν οἵ γε τοῖς ἀνθρώποις καλῶς χρώμενοι καλῶς πράττουσι τὰνθρώπεια πράγματα (in 5). Nam si ponimus sub ipsis his verbis quamdam conclusionem latere, quamquam constans concludendi particula ἄρα abest, vel tunc hujusmodi argumentandi formula, ut paucissimis eam scribam: A = ὡς δεῖ: sed ὡς δεῖ = καλῶς: Ergo καλῶς = καλῶς, tamen prorsus nulla est. Necessario debebat ea habere conclusionem hanc: Ergo καλῶς = ὡς δεῖ. qualem habet secunda pars sive argumentatio, quae est hujusmodi: A = ὁ ποιῶν δίκαια: sed δίκαια = ἀ οἱ νόμοι κελεύουσιν: Ergo ὁ ποιῶν ἀ οἱ νόμοι κελεύουσιν = ὁ ποιῶν δίκαια. Verum ea, qua de agimus, non est hujus formae, sed ejusdein, cuius est quae apud Xenophontem quoque in tertia parte (in 6) legitur. Quam perspicuitatis causa paucissimis scribam sic:

A = B οἱ εἰδότες ἀ οἱ νόμοι κελεύουσι (= δίκαια
= ἀ δεῖ ex secunda).

B οἱ εἰδότες etc. = C οἱ οἰόμενοι δεῖν ποιεῖν illa
C οἱ οἰόμενοι δεῖν etc. = D οἱ ποιοῦντες illa
Ergo (A) B οἱ εἰδότες etc. = D οἱ δίκαια ποιοῦντες.
Huic subjungam primam etiam brevissime scriptam, ut facilius cum ea comparari possit:

A = B ὡς δεῖ χρῆσθαι
B ὡς δεῖ χρῆσθαι = C καλῶς χρ.
C καλῶς χρ. = D καλῶς πράττειν —.
Ergo (A) B ὡς δεῖ χρῆσθαι — = D καλῶς πράττειν —.

Horum nihil mutari potest, nihil omitti *. Atque haec comparanti cum iis, quae apud Xenophontem scripta sunt, apparebit lacunam esse post τὰνθρώπεια πράγματα, eamque his verbis explendam esse: Οἱ ἄρ' ἀλλήλοις ὡς δεῖ χρώμενοι καλῶς πράττουσι τὰνθρώπεια πράγματα. Sed his praemitte Πῶς γὰρ οὖ; ut Εἰκός γ' ἔφη responsum sit ad conclusionem, hunc in modum totum locum scribens: Οὐκοῦν οἵ γε τοῖς ἀνθρώποις καλῶς χρώμενοι καλῶς πράττουσι τὰνθρώπεια πράγματα; Πῶς γὰρ οὖ; Οἱ ἄρ' ἀλλήλοις ὡς δεῖ χρώμενοι καλῶς πράττουσι τὰνθρώπεια πράγματα. Εἰκός γ'

* Possis eas in has formas convertere, primam simpliciter sic scribens:

A οἱ εἰδότες ἢ οἱ νόμοι κελεύουσι = B οἱ οἰδμενοι δεῖν ποιεῖν illa.

B οἱ οἰδμενοι κτέ. = C οἱ ποιοῦντες illa

Ergo A οἱ εἰδότες = C οἱ ποιοῦντες.

et alteram sic:

A οἱ χρώμενοι ἀλλήλοις ὡς δεῖ = B οἱ καλῶς χρώμενοι.

B οἱ καλῶς χρώμενοι = C οἱ καλῶς πράττοντες κτέ.

Ergo A οἱ χρώμενοι ὡς δεῖ κτέ. = C οἱ καλῶς πρ. κτέ.
Nil attinet hic explicare aut defendere hanc harum formularum dispositionem. Scripsi eas ita hoc consilio, ut etiam hac ratione luce clarius appareat primum, utramque eodem parique jure suam conclusionem flagitare; tum etiam, primae partis conclusionem necessario talem esse, qualem eam supra scribam.

ἔφη. Οὐκοῦν οἱ τοῖς νόμοις κτέ. Itaque , sicuti in Gorg. 498 C, etiam hic librariorum oculi ad proxima superioribus similia aberrarunt. Ipsum alterutrum πράγματα cum omnibus inter utrumque interpositis transilierunt : ita ut Εἰκός γ' ἔφη. post prius πράγματα scripserint. Qualia non raro facta esse ex quovis fere codice discimus. — Videndum de secunda ejusdem argumentationis parte. Jam alii verba (in 6) Οὐκοῦν οἵ γε τὰ δίκαια ποιοῦντες δίκαιοι εἰσιν ; 14 Οἴμαι ἔγωγ' ἔφη. suspecta habuerunt. En igitur quod in primo specimine dicebam , quemque soller- tem lectorem in talibus offendit debere. Verum cum non afferant argumenta , quae argumentatio ipsa sup- peditat , ea afferens quasi digito monstrare conabor , cur illa verba hic ferri nequeant. Argumenta enim peti possunt ex argumentatione , quibus non cer- tiora desiderari possunt. Sed ne iterum eadem re- petam , conferas descriptionem omnium argumentationis partium , quam supra dedi. Videbis igitur ea verba non pertinere posse ad secundam partem , quo- niam post hujus partis conclusionem stant. Tum etiam persuasum tibi erit , neque in tertiae partis praemissis neque in ejus conclusione ullam eorum ra- tionem haberit , neque haberit posse. Praeterea ultimam partem si suo ordine disponis sic :

A οἱ τὰ περὶ ἀνθρώπους νόμιμα εἰδότες = B τὰ δίκαια ποιοῦσι.

B οἱ τὰ δίκαια ποιοῦντες = C δίκαιοι εἰσι
Ergo C δίκαιοι εἰσιν = A οἱ τὰ περὶ ἀνθρ. κτέ.
in hujus demum partis praemissis suum verbis illis

locum esse appareat. Haec omnia fugerunt scribas, quos simul fugit, hoc unum et solum in secunda parte demonstrari τοὺς τοῖς νόμοις πειθομένους (i. e. ὡς δεῖ κατὰ τὰ νόμιμα πράττοντας etc.) ποιοῦντας ἢ οἱ νόμοι κελεύοντι ποιεῖν δίκαια et ἢ δεῖ. Quod si eosdem neque hoc latuisset, quod in tertia hoc solum ex secunda sumitur ἢ οἱ νόμοι κελεύοντι esse δίκαια καὶ ἢ δεῖ, certo certius ea verba non addidissent. — Caeterum vocem οὗτοι, quae (bis in 6) inter δίκαια et ποιοῦσι posita, et vocem ποτε, quae est in totius argumentationis conclusione, antiquissimi Xenophontis, editores in suis codicibus non invenisse videntur neque recentiores recipere eas debebant. — Alia hujusmodi in argumentationibus apud Xenophonem corrigenda alii occasione reservo.

His cuiusque generis mendis ex argumentationibus exemptis, praesertim tot lacunis in iis expletis, idque sine ulla codicum opera, quot antea vix suspicabar tam paucis paginis inesse posse, jam summo jure perhibere me puto, plura ubique scriptorum suspecta habenda esse quam vulgo habentur. Sint igitur hae argumentationes, imprimis quam in Gorgia 497 D — 499 A obviam exploravi exemplo et documento, unde multo clarius et certius quam ex ulla alia scriptorum parte efficiatur, quae sors fuerit eorum scriptorum et quot qualibusque vitiis quaevis fere pagina infecta sit. Imo, argumentationes perscrutanti, sicuti praeiimus, desperatam fere rem suscipere videantur critici alia expedire aggredientes, cum facile sit ad conjiciendum, in reliquis etiam plura aut omissa aut addita aut

mutata esse a scribis, qui ne his argumentationibus quidem, quamquam prorsus ἀμεταθέτοις, pepercerint, sed earum laceratas quasdam reliquias nobis tradiderint. Accedit, quod critica in nullo alio scribendi genere tam tuto et certo exerceri potest, quam in argumentationibus, propter constantem et certam eorum propriam rationem, facile agnoscam. Quamquam igitur probe scio, quanta difficultas huic rei insit et quanta cautio adhibenda sit in aliis secundum hanc methodum expediendis, conabor tamen speciminis ergo corrigerem pauca quaedam eorum, quae in una Platonis pagina antehac sana esse mihi videbantur, nunc autem medicina indigere mihi videntur, imprimis, sicuti in argumentationibus, reddendo Platoni a scribis omissa et rejiciendo ab iis addita.

Hoc periculum faciamus in Philebo. In hujus dialogi 60 B haec leguntur Σωκράτης δὲ πρῶτον μὲν οὗ Φησὶ τοῦτ' εἶναι, δύο δὲ καθάπερ τὰ ὄντα (ἀγαθὸν καὶ ήδον). Post εἶναι excidit vocula ἐν, quam nescio quibus argumentis ejus inventor defendat, spernettes autem eam video τῷ εἶναι hic affingere significationem τοῦ verum esse. Vindicari igitur hanc voculam Platoni atque ita defendi posse arbitror, ut nihil dubitationis supersit. Ad δύο δὲ sine ulla dubitatione idem verbum εἶναι cogitatione repetendum, idque significatione τοῦ esse. Quod cum certum sit, scriptum εἶναι certo certius eandem habet significationem, quam idem verbum per ellipsis omissum hic non habere non potest. Ego saltem contendo, non fieri posse, ut usquam vox scripta non eandem

habeat significationem atque eadem non scripta sed in altera ejusdem periodi parte per ellipsis omissa. Praeterea illa δύο δὲ antitheta sunt necessario numerum quemdam antitheton praemissum flagitantia, qui hic non esse non potest εἶναι. — Porro Socrates in 60 contendit τὴν τἀγαθοῦ φύσιν διαφέρειν τῶν ἀλλων τῷ-δὲ: nimis, uti dicit in C. οὐ παρείη τοῦτο (τἀγα-θὸν) — μηδενὸς ἐτέρου ποτε ἔτι προσδεῖσθαι, τὸ δὲ ίκα-νὸν τελεώτατον ἔχειν. Excidit καὶ post ίκανόν. Duo enim haec ubique dicuntur τἀγαθῷ adesse, nusquam autem ea in unum conjunguntur. — Neque recte se habent quae in D leguntur — δύστιχον — εἰπάτω, μνήμην [καὶ φρόνησιν] καὶ ἐπιστήμην καὶ ἀληθῆ δόξαν τῆς αὐτῆς ἴδεας τιθέμενος, καὶ σκοπῶν, εἰ τις ἄνευ τούτων δέξαιτ' ἄν οἱ — εἴναι ήδονὴν —, εἰ μήτ' ἀλη-
 15 θῶς δοξάζοι χαίρειν. Primum redde scribis illud καὶ φρόνησιν. De φρονήσεως enim mox seorsim sermo est. Tum Platoni redde participium χαίρων inter εἰ et μήτ' ab omnibus omissum. Scribarum nonnulli co-
 natii videntur loco succurrere ἢν μήτ' pro εἰ μήτ' scribendo. Sed isti ignorabant Platonem aut dicere ήδονὴν ήδεσθαι aut χαίρειν ήδονῆ, non vero χαίρειν ήδονήν. Operae pretium cum hoc loco conferre quae leguntur in 21, sed hic tenemus eosdem impostores in B Νοῦν δέ γε [καὶ μνήμην] καὶ ἐπιστήμην [καὶ δό-
 ξαν] μὴ κεκτημένος [ἀληθῆ] πρῶτον μὲν κτέ. quippe qui obliti fuerint addere καὶ λογισμὸν praeter duo illa καὶ μνήμην et καὶ δόξαν ἀληθῆ. Hic enim tantummodo duo νοῦν et ἐπιστήμην stare possunt. Tum etiam re-
 quiritur κεκτημένον in accusativo. De tribus illis μνή-

μης, δόξης ἀληθοῦς et λογισμοῦ mox deinceps sermo est: primum de μνήμῃ sic in C: Καὶ μὴν ὁσαύτως μνήμην μὴ κεκτημένου ἀνάγκη δήπου μήδ' ὅτι ποτ' ἔχαιρες μεμνῆσθαι. Sed pro ὅτι scribe pronomen ὁ τι. Tria igitur illa et καὶ μνήμην et καὶ δόξαν et ἀληθῆ sunt omittenda. Verum totidem redde Platoni ibid. in E μὴ (ex uno codice) ante μετέχων, nec non ἀντe τῶν τοιούτων, quod jam alii desiderasse videntur, et 16 tandem in 60 E πάσης inter χωρὶς et Φρονήσεως.

Postrema quam paucissimis absolvi, ratus diligenter locos in Philebo legentem singulas emendationes facillime sibi ipsum probaturum. Quae autem in argumentationibus emendavi, cum certo sciam futuros esse, qui non facile mihi assentiantur, neque ipsi facile videant singulorum ἀνάγκην, enucleate ac planissime omnia explicare argumentisque confirmare necessarium et tutius duxi. Fortasse tamen unus et alter erit, qui ea vel argumentis confirmata in dubium vocet. Si quis igitur erit, qui a me dissentiat, eum etiam atque etiam rogo, ut argumentis me refellat argumentorum a me allatorum rationem habens. Neque haec enim vendito ut prorsus ἀνέλεγκτα, sed, ἐάν τι φαίνηται λέγων ὁ ἀμφισβητῶν ἐμοὶ, ἐγὼ πρῶτος συγχωρήσομαι.